

Erat autem arbor haec aspera, ac sentibus plena, ut auctor est Polybius (*lib. 12*); fructus vero illius dulcissimus: unde originem sumpsit Homeri, et Ovidii fabula, qui finxerunt, Ulyssis socios, cum primum illius arboris dulcem fructum degustarent, patriam, amicos, ac reliqua omnia oblivioni tradidisse; unde Alcianus (*embl. 14*) cecinit:

Sic Ithacum praemissa manu dulcedine Lothi  
Liquerat, et patriam liquerat atque duces:

ecce ethnici etiam homines solo lumine naturae ducti, fere omnia, quae lucusque diximus, facitabant. Sub quibus sane mira virginibus traduntur documenta. Imprimis ad ianuam templi Vestales virgines capillos scindebant, eosque super arborem *Lothos*, arborem, inquam, oblivionis, proiciebant, quo genere ritus docebantur, quaecumque mundi pulchra, et grata sunt, honores, divitias, parentes, et cognatos perpetuae oblivioni commendare debere. Hoc quid aliud erat, nisi quod David (*Psal. 44*) singulis virginibus suadet: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum?* Cum etiam antiqui, virgines illas Vestales intra domum deae Vestae simul habitare praecipiebant, clausuram virginibus omnino necessariam aperte docebant: quod vero arbor illa *Lothos* talis naturae esset, et spinis, ac sentibus esset plena, fructus vero gutturi dulcissimus, non obscure

significabat, oportere virgines, ut lauream virginitalis suae suavissimum fructum degustent, prius per difficultatum sentes, spinas, ac vepres, quas ad virginitalis custodiam superare opus est, viriliter pertranseant. Vel dicamus aliter, arborem illam *Lothos* arborem crucis delineare, glavorum sentibus plenam, cuius fructus suavissimus est animae esurientis, ut testatur sponsa (*Cant. 2*): *Et fructus eius dulcis gutturi meo*: ab hac arbore suspendunt sacrae virgines in templo dicatae capillos cogitationum suarum, in Christum solum fructum illius, cogitationum suam iactantes, ut ab illo enutriantur, iuxta illud Davidis (*Psal. 54*): *Iacta cogitationum tuam in Domino, et ipse te enutriet*: ex hac item arbore suspendunt sacrae virgines, velut Israelitae, in salicibus organa sua, hoc est delicias, divitias, et honores, quibus perpetuo privari, amore Christi, eligunt: in hoc Ulyssis sociis dissimiles valde, qui, ut narrat Homerus (*odyssea 9*), et Ovidius (*9. Metamorph.*) cum arbori illi *Lothos* adhaerentes, ab ea separari nollent, tandem flagellis lacerati, ab ea discedere compulsi sunt: longe aliter sacrae virgines Catharina, Agnes, Agatha, Caecilia, Lucia effecerunt, quae virgatum flagellis caesae, ferreis unguibus confectae, ac variis tormentorum generibus confectae, a crucis arbore, et a Christo eius fructu nec per momentum dimoveri poterunt. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## DE SACRIS ARCANIS

## DESPONSATIONIS B. VIRGINIS

NEC NON DE EXIMIIS LAUDIBUS DILECTISSIMI EIUS SPONSI D. IOSEPHI

## LIBER QUARTUS

## HOMILIA PRIMA HISTORICA.

*Desponsationis Virginis cum castissimo Iosepho dulcissimam historiam antiquorum Patrum testimoniis stabilimus, eorumque matrimonium inter hos sacros sponso exitissime apertissime comprobamus; ac tandem de aetate, in qua illi sponsalitia inierunt, disserimus.*

Antequam Patrum testimonia de Virginis desponsatione proferam, antiquissimi Niceaphori, celeberrimi historiographi, verba in medium producam: sic enim ait (*lib. 1. cap. 7*): Postquam adolevit Virgo, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea staterent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur: sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in servitum conjugalis legis redigerent, quae semel Deo dicata esset. E diverso autem puellam eo aetatis flore in sacratore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam, et decoram esse videbant. Saepe itaque, et multum re deliberata, dicentibus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsae nomine committerent; eum vero talem esse debere, cui recte virginitalis custodia demandaretur. Porro non alius Iosepho visus est magis idoneus ad sponsaliorum coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret; eiusdem enim tribus erant: insuper cetero et senio, et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consequutus esset; haec ille. His de Mariana cum Iosepho desponsatione consentiunt gravissimi Patres: d. Gregorius Nysenus (*in or. de nat.*) ex arcana historia dicit: Cum crevisset, et adulta esset, consilium sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuerent, in Deum peccarent: nam subigere eam legi naturae, et addicere quasi servam, si quis eam in matrimonium duceret, res longe ab-

surdissima, minimeque decora videtur; sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius, ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet; quoniam legis sancitum est, ut vir potestatem habeat in uocem: ut autem intra templum una cum sacerdotibus mulier rertaretur, et in sanctis conspiceretur, neque consuetum, nec usitatum erat, et simul gravitas, et honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, divinitus incedit consilium, ut darent eam eisdem viro nomine desponsationis; is autem ad cotidieandam virginitalatem eius idoneus esset. Inventus est igitur d. Ioseph talis, qualem ratio consilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, ac tribu; isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondit: coniunctio autem non ultra sponsalitia progrediebatur; haec ille. Sed et d. Damascenus (*orat. 1. de dormit. Virg.*) ait: Cum Virgo ad aetatis florem iam perveniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est, virginitalis custodi, Iosepho a sacerdote choro traditur, qui quidem integram, et inviolatam legem ad senectutem usque, si cum alicui conferatur, servaverat. His accedit d. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus de oblatione Virginis in templo, eodem dicens.

Quodnam autem fuerit hoc consilium, quaeve sors ad Iosephi electionem in sponsam Virginis, his verbis enarrat d. Hieronymus, vel quicumque alius auctor fuerit libri de ortu Virginis: Pontifex publice denunciabat, ut virginis, quae in templo constituebatur, ut aetatis tempus implesset, domum recerterentur, et nuptias secundum morem gentis, et aetatis natiuitatem, operam darent. Cui mandato, cum ceterae parvisset, sola Virgo hoc se facere non posse respondit, dicens, se quidem, et parentes suos Domini servitio mancipasse, et insuper seipsum Domino virginitalatem rovisse. Tunc Pontifex praecipit, ut ad festivitatem, quae imminet, omnes ex Hierosolymis, et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Omnibus in



communi placuit, Dominum consulendum: et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit, nec mora, cunctis audientibus de oraculo, et propitiatorii loco vox facta est, *Isaiae vaticinium requirendum esse, cui illa Virgo desponsari, et commendari deberet. Secundum ergo Isaiae vaticinium: Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini: cunctos de domo, et familia David nuptii habiles non coniugatos, virgas suas allaturos, ad altare praedixit: et cuiuscumque virga florem germinasset, et eius cacumini Spiritus Domini in specie columbae consedisset, ipsum esse, cui Virgo desponsari deberet: erat autem Ioseph de familia David grandaeus. Cunctis vero virgas suas iuxta ordinem despondentibus, ipse solus suam subtraxit. Unde cum nihil divinae voci consonum apparuisset, Pontifex iterum Deum consulendum putavit, qui respondit, solum illum ex iis, qui designati erant, virgam suam attulisse qui Virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph: cum enim virgam suam attulisset, et cacumine eius columbae de coelo contentiens, consedisset, liquido omnibus patuit, et Virginem desponsandam fore; haec ille. Ne tamen tibi praeter rem videatur, signo visibili electum fuisse Iosephum a Deo, animadvertite in sacra Scriptura sortis nomine accipi diversimodum signum externo declaratum, quae (Numer. 17) floribus, et amygdalis germinantibus in virga, electus est Aaron in sacerdotem: sic divina sorte quaesitus est praevicator Acham (*Iosue 7*); sic etiam (*1. Reg. 10*) sortibus electus est Saul; sic divina sorte cecidit super Mathiam (*Aetor. 1*): quam sortem, appellasse Scripturam testatur d. Dionysius Areopagita (*lib. de Eccles. hier. cap. 1*) dicens: *Divini quidam, et praecipui muneris, per quod illi chero sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. Quod si huiusmodi sortes tam frequentes erant ad ostendendam eos, qui ad minima munera eligebantur, immo, et eos qui puniebantur; quid mirum, si ad eligendum cum, qui futurus erat Virgini sponsus, et Christi nutritus, et legalis pater, sorte divina foret virga, et columba in eius fastigio consideret?**

An autem inter b. Virginem, et Iosephum intercesserit verum, et proprium matrimonium, non vero tantum sponsalia, nonnulla videtur inter Patres dissentio; quos tamen adhibita distinctione facile conciliabimus. Sunt aliqui Patres, qui in negantem partem ivisse videri possunt; nam d. Bernardus (*ho. 2. sup. Mis.*) ait: *Virum nominat Evangelista Iosephum, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat: et rursus: Nec viri Matris, nec Filii pater, Ioseph exilit, quoniam utrumque ad tempus et appellatus sit, et putatus: S. Petrus Chrysologus (ser. 175.) inquit: Ioseph maritus solo nomine, conscientia sponsus: d. Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus (*catech. 12. in illa verba Luc. Ut profletur cum Maria desponsata sibi uxore*), non dixit, inquit, cum uxore sua, sed desponsata sibi: et paulo superius: *Maria propter solam desponsationem uxore Iosephi vocabatur.**

ac tandem ibidem ait: *Meminimus Iacob, qui prius, quam Rachel uxorem acciperet, dicebat ad Laban: Da mihi uxorem meam: sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cum tantum promissio interessisset, uxor Iacob nominabatur, sic et Maria propter solam desponsationem uxor Iosephi vocabatur.* D. Hieronymus (*in lib. ad. Helvid.*) ait: *Ioseph Mariae custos potius fuit, quam maritus; et Matthaeus in illa verba: Ioseph accepit Puerum, et Matrem eius, non dixit, inquit, accepit filium suum, et uxorem suam, sed Puerum, et Matrem eius, quasi nutritus, non maritus. Quod si obicias, Virginem dici ab Evangelistis uxorem Ioseph, respondet d. Hieronymus (*in lib. contra Helv.*), ac probat, hanc esse Scripturae consuetudinem, ut sponsas appellat uxores. Hilarius (*in Matth. 1*): *Quotiescumque de utroque, idest Virgine, et Ioseph fit sermo, Mater potius Christi Virgo, quia id erat, non uxor Ioseph est nuncupata, quia non erat. Cyprianus (de pas. Dom.): Obsequium Virgini virgini discipulo tradis Domine, ut, iam non Ioseph tanti mysterii oneretur praepositura, sed Ioannes: quia iam exagebat ratio, ut coniugii renovaretur opinio, nec ultra pater Christi aestimaretur, quia eadem vicem patris, et coniugis tenebat: d. Ambrosius (*de inst. virg. cap. 6*): *Desponsata virgo Virgo, coniugis nomen accepit; cum enim imitatur coniugium, tunc coniugii nomen adscipit: et (epist. 79. et lib. 2. in Lucam in principio), et (lib. de inst. virginis cap. 6. et 7.) cum Cypriano (de Passione Domini), ait, Christum in cruce separasse matrem a Ioseph, eamque Ioanni tradidisse, ut indicaret, inter eos verum coniugium non interessisse. Ac tandem eodem modo loquuntur Gregorius Nyssenus (*hom. de nativ.*) et Gregorius magnus (*hom. 26. et 27. in Eze.*): ac tum ex evangelica historia aperteissime colligatur, matrimonium ratum inter b. Virginem, et Iosephum extitisse, ut constat ex illis verbis (*Matth. 1*), *Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus: et ex illis, quae dixit angelus (ibid.): Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: et ex illis Lucae (c. 2): Ascendit Ioseph cum Maria desponsata sibi uxore praegnante: nec non et ex illis (*Matth. 1*): Antequam concernerent quibus aperteissime significatur, potuisse quantum est ex parte vineuli, honeste convenire; cum (inquam) ex evangelica historia, tamquam veritas fide catholica tenenda liqueat, verum, ac ratum matrimonium interessisse inter Mariam, et Iosephum, certe, cum illud negant praeciliati Patres, loquuntur de matrimonio consummato, quod cum copulam carnalem importet, ut hanc longe a Virgine regerent, matrimonii, aut mariti omnino fugiebant. Posse autem verum, et essentiale matrimonium esse absque copula coniugali, unanimes est theologorum consensus; idque habetur (*ex cap. sufficit, 27. q. 2*), et ex Concilio Florent. (*in decreto Eugenio*), ubi definit, matrimonium perfici mutuo consensu, quem constat manifeste antecedere copulam; et ex Trident. (*sess. 24.*), ubi supponens esse verum, et proprium matrimonium, distinguit ratum a consummato. Immo constat ex coniugio primorum parentum, inler quos fuit verum matrimonium in amoenissimo illo paradiso, in quo tamen a carnali co-****

pula se abstinerunt: atque huic veritati invidentes Patres non pauci, inter b. Virginem, et Iosephum non solum sponsalia de futuro, sed et verum, ac proprium matrimonium de praesenti interessisse docuerunt: d. enim Augustinus (*l. 1. de nupt. et concup.*) ait: *Non fallaciter dictum est ab angelo ad Ioseph: noli timere accipere Mariam coniugem tuam: coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat copulatus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat illa carnis commixtio: idem etiam Aug. (*l. 2. de cons. Evn.*) inquit: *Exemplo Virgini, et Ioseph insinuat fidelibus coniugatis, etiam sercata pari consensu continentia, posse permanere, coarctare coniugium, non committit corporis sexu, sed custodit mentis affectu: et (l. 1. nupt. et concup.): Cur non coniuges maneat, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph, Maria, qui concumbere nec coeperunt? et (cap. 11.): Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides, sacramentum; prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Idem etiam non obscure docuit d. Ambrosius, dum (*lib. 2. in Lucam*) in principio ait: *Quam non accepit, nemo dimittit; et ideo, qui volebat dimittere, falebatur acceptam; scilicet, in uxorem, aut coniugem, ut satis explicant praeciliata verba angeli (Matth. 1): Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: idem etiam d. Ambros. (c. 1. Lucae) acute dixit: *Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: censebat ergo b. Virginem per verum matrimonium fuisse Iosepho coniunctam, alioquin cum parturiret, pudoris eius fama facturam paleretur; maxime quod, cum in evangelio vocetur Ioseph pater Christi, aperte supponitur, verum matrimonium inter Virginem, et Iosephum extitisse, cum Christus minime illegitimus fuerit estimatus. Tandem idipsum constanter docet d. Thomas (3. p. q. 1. art. 2). Quomodo autem verum, ac ratum matrimonium non pugnarit cum firmissimo Mariano proposito de perpetua servanda virginitate; vel qua ratione Virgo, quae virginitatis votum emiserat, ut testatur Augustinus (*lib. de sanc. virg.*), poterat matrimonio consentire, cum teste Hieronymo (*sup. prim. epist. Pauli ad Timot. c. 5*): *Votum virginitatem non solum vobere, sed etiam velle, damnable est: quidam respondent, quod licet emississet votum virginitatis, potuisset revocari, et irritari per parentes eius, praecipientes illi nubere, ut habetur (lib. Num. c. 30); sed minime gentium illos id praecipisse credam: quia votum Virginitatis irritum factum perfectionem, et excellentiam virginitatis minuet, quae procul dubio minor extitisset, quam si ex voto ab ipsa nuncupata, et per parentes confirmato custodita fuisset. Bifariam ergo alter id explicari potest; primo dicendo, ante sponsalia convenisse Iosephum, et Mariam, ut neuter ab altero unquam postularet debitum, et ita sub hac conditione contraxisset; quod nihil obesse substantiae matrimonii docuerunt celebris ille Cancellarius patrisiensis (*serm. de Nat. Mariae*), Abulensis (*in c. 30. Num. q. 32*), Dio-*****

nysius Cart. (*in vita Chr. p. p. c. 3*), et alii perperam: sicut enim dominium distinguitur ab usu, et absque illo haberi potest; ita in matrimonio potest dari potestas, et dominium in corpore coniugis absque usu copulae carnalis: et sicut potest tale dominium conferri sub conditione nunquam tali re utendi, cum conditio haec non sit contraria traditioni dominii; ita potuit inter b. Virginem, et Iosephum vera fuisse corporum traditio per matrimonium ratum, sub conditione nunquam utendi talis re tradita. Secundo alii cum d. Thoma (3. p. q. 29. art. 1. ad 1) opinantur, et verius, b. Virginem ex speciali instinctu Spiritus sancti, vel ex divina revelatione agnovisse, Iosephum nullum prorsus esse virginitatis nocentium fore allaturum, ut qui nunquam ab ea petiturus esset debitum; unde recte potuit Virgo consentire in verum matrimonium, non explicite consentiendo in copulam carnalem, absolute, et non sub conditione, si Ioseph debitum petisset: cum enim esset certa ex infallibili revelatione, non fore illum a se postulaturum, non opus erat, actum illum conditionaliter elicitum: unde cum d. Augustinus ait, ut refertur (*d. 27. q. 2*): *B. Maria subiecit se divinae dispositioni, dum proposit, se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinae dispositioni, consentit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo: intelligi debet loqui de consensu non expresso, et explicito in copulam, sed in radice, quatenus divinitus edocta vinculo matrimonii consentit, quod ex natura rei ad liberam procreationem ordinatur; talis autem consensus in radice in nullo virginitatis perfectioni derogat, cum stare possit, supposita divina revelatione, cum formalissimo proposito omnem copulam etiam coniugalem vitandi. Unde Hugo Victorinus (*de despon. Mariae*): *qui suo saeculo, velat alter Augustinus haberi meruit, pie simul, et sapienter dixit: De incurrupta virginitate Matris Domini hoc fides inquit pie, et pietas fideliter confletur, quod eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus, quemadmodum castitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem Virgo perpetua, et cum desponsaretur viro, non tamen deseruit, aut mutavit propositum continentiae, cum foecundaretur, non a viro, conceptis sine libidine, et cum Filium ederet, peperit sine dolore: ac seipsum explicans magis: *Discedamus, inquit, ut potestas, quid sit coniugium, et ex eius definitione proposita consideremus, si simul esse poterunt in Virgine Matre, et consensus coniugalis, et propositum virginitatis. Quid enim est coniugium, nisi legitima societas inter virum, et feminam, in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semetipsum dedit alteri? Spontaneus ergo consensus inter virum, et feminam legitime coniunctos fuit, quod uterque alteri debitorem sui se spondet, iste est, qui coniugium facit, et coniugium est ipsa societas tali consensu confederata, quae altero viceat alterum ab altero non dissolvit. Est adiac alius consensus, sed carnalis commercii ab invicem exigendi, atque***



reddendi, similem inter virum, et mulierem pacationem constituens; comes, non effector coniugii; officium, et non vinculum, qui et ipse tamen, quam pari ab utroque solo suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Adiuugit: Porro huius debili, de carnali commercio loquitur, necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subicit, in quibus, non coniugium contraheretur, vel sanciretur, huius operis consensus non praecessit; nec tamen hoc officio cessante, veritatem, seu virtutem coniugii cessare credendum est, immo potius tanto verius, ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo, et non in concupiscentia carnis, libidinis ardore fundatum est; haec ille.

Duplicem deinde caeremoniam, quam in eo sacro sponsalio intercessisse autumo, non est, cur inutili silentio praeteram. Prima est, quod sanctus Ioseph annulum porrexit beatae Virgini: annulum enim sponsalem loco arriae solitum dari inter Hebraeos, non obscure colligitur, ut Cardinalis Baronius adnotavit (tom. 1. *Annal. Chr.* 57.p.941. in p. impress.) ex illo Genes. Dixit Thamar: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris; ait Iudas, quid vis pro arrhabone dari? respondit, annulum tuum; hic aulem annulus beatae Virgini a sancto Ioseph datus, Persuasia Italiae civitate in ecclesia sancti Laurentii magna veneratione asservatur; cuius tamen materiae sit, distince discerni non potest. Secunda caeremonia fuit, quod sanctus Ioseph pallium suum extendit super beatam Virginem, quo illam cooperavit, ut mos erat apud Hebraeos, ut constat ex illo (Ruth. 3), ubi petens illa Booz sibi desponsari, dixit: *Expande pallium tuum super famulum tuum*: duplex autem haec caeremonia, et fidelitatem ab uxore servandam, et protectionem a marito ei exhibendam protendebat.

Porro iam tempus est, ut de aetate, in qua coelestis li coniugis, Maria, et Ioseph, coniugium inierunt, sermonem instituiamus. Et quidem de aetate Virgini, Alberti magni opinio fuit, id referente Dionysio Cart. (lib. de laud. Virg. artic. 37), viginti quinque annos habuisse, cum sponsalia contraxit: sequitur est illum Card. Caietanus (super Luc. 1), et uterque eo imilitur fundamento, quod oportet in beata Virgine concedere omnem congruentem dispositionem tam ex parte naturae, quam ex parte gratiae, ad hoc, ut Mater Dei fieret; aetas autem mobilis exigit completum motum augmenti, quia naturalis ordo id ex natura rei sibi vindicat, ut prius perficiatur persona, quam detur opera ad conservandam speciem: huiusmodi autem augmentum, iuxta phylosophorum sententiam, requirit in viris quatuor septennia, in foeminis vero tria cum dimidio. Ut ergo perfecta mater perfectum filium generaret, oportebat ex natura rei esse viginti, vel viginti quatuor annorum; unde Plato (lib. 4 de Repub.), propter ineptitudinem ad generationem, quae in puellis plerumque viget, iubet, ne usque ad vigesimum annum nubant: qua etiam ratione Aristoteles a magistri sui sententia non recedens, docet viros non esse nubendos usque ad 18 annum. E contra vero alii quodecimum tantum annos ei tribuant, ac

ut tradit Dionysius Carthusianus (qui l. de laud. Virg.) ait: *Dixerunt quampures, etiam eruditi, quod Virgo circa quintuodecimum aetatis suae annum conceperit Dei Filium*: eidemque sententiae subsequitur Card. Baronius (tom. 1. *Annal.*). Alii antiquiores Patres decimoquarto aetatis anno, Virginem nuptiam fuisse autumant; hi sunt antiquissimus Evodius apud Nicaephotum (lib. 2. cap. 3), D. Bonaventura (in suis meditationibus), Gregorius Nicomedien. (orat. de oblat. Virg.), Andreas Cretensis (serm. de Virg.), Gregorius Nyssenus (hom. de humil. Christigen.), Cedrinus (in compend. histor.), et Abulensis (in c. 2. *Matth. g. 91*): hi enim omnes tradunt, Virginem tertio aetatis suae anno in templo fuisse oblatam, et in eo per annos undecim permanisse, et continuo a sacerdotibus fuisse Ioseph desponsatam. Omnes etiam, ut certum supponunt, Virginem, cum Christus ascendit in caelos, aetatis fuisse quadraginta octo annorum, a quibus si demas triginta tres, quibus superstes fuit Christus, remanent quindecim: igitur, cum decimoquinto anno aetatis suae Virgo peperit Christum, reliquum est, decimoquarto anno matrimonium contraxisse: conveniunt namque omnes, post unum ab initio matrimonii peperisse Christum. Alii denique, quos sequuti sunt Ioannes Annius recens cronographus, et Driedo, sponsalam affirmant anno aetatis suae decimo tertio, idque putant se ex d. Hieronymo colligere. In tanta aulem opinionum varietate mihi satis videtur, communi Patrum sententiae adhaerere, qui quatuordecimo anno aetatis suae b. Virginem nuptiam tradunt: cum enim esset optime complexionis, non est, cur maior aetas desideranda esset ad conceptum.

De aetate aulem sponsi eius Iosephi tempore desponsationis non minor est opinio diversitas: nam doctor Hieronymus, vel quicumque alius auctor est libri de ort. Virg. ait, iam tunc senilem aetatem agere: ait enim: *Erat Ioseph de familia David grandaeus*. Consentit Nicaephorus, dum ait: *Ioseph senio, et honestate morum, iam pridem bonae fidei existimationem consequutus erat: et quavis hi non signent aetatem expresse, tamen illam signavit d. Epiphanius (l. 2. haer. 31 et lib. 3. haer. 38) dicens: Ioseph accepit Mariam agens annum fortassis octogesimum annum supergressus, non accepit Virginem in usum; sed magis dispositus est in custodiam*. Cancellarius vero parisiensis (serm. de nat. Vir.) existimat, Ioseph tunc natum fuisse annos quinquaginta, a quibus incipit senectus. Abulensis (in *Matt. 1. g. 32*) non longe diversam viam ingressus, ait: *Quamvis Ioseph esset aliquoties senex, tamen adhuc erat potens ad gignendum; et manifeste apparebat omnibus ex habitu corporis*. Permilli tamen cum Viguerio (in *inst. c. 20. p. 9*) tradunt, Iosephum tunc iuvenem fuisse; sic enim ille ait: *Virgo non evasisset notam infamiae, si vir eius fuisset senex, et decrepitu, prout olim non reiecta veritate pingebatur; nec fuisset Virgini solatio, aut adiutorio, sed taedio*. Consentit eidem sententiae Mator, dum triginta annorum aetatem, vel paulo amplioremi illi tri-

## HOMILIA II. HISTORICA.

In qua difficultas illa elucidatur, num Iosephus statim post initum Hierosolymis matrimonium, Virgine remissa in Nazareth, Bethlehem redierit, tempus celebrandarum nuptiarum ibi expectaturus: an potius ipsemet Virginem reduxerit in Nazareth, ibique in propria secum domo eam retinuerit usque ad nuptiales solemnitates.

Plerosque video, eosque antiquissimos, et gravissimos Patres, constanter assentes, beatam Virginem statim ab initio coniugio Ioseph fuisse traditam, et mox Nazareth ab eo deductam, ibique in propria domo custoditam: hi sunt s. Ioannes Chrysostomus (homil. 4. sup. Mat.), Evodius apud Nicephorum (lib. 2. *histor. cap. 3*), Auctor imperfecti (hom. 1. in *Matth.*), Germanus Patriarcha Constantinop. (in *vita Virg.*), d. Bernardus (hom. 2. super *Misus* est), Euthymius (in 1. *Matthaei*), Niceph. (lib. 1. *hist. cap. 8*). Ducti sunt hi auctores ad hoc assendum, primo consuetudine quadam inveterata, quam dicunt a Iudaeis observatam; et colligit eam Chrysost. (hom. 45. in *Genes.*) ex historia Loth, qua erat in usu, ut a die desponsationis usque ad tempus nuptiarum sponsi sponsae traderentur custodiendae, ut earum ipsi eo pudicitiam servarent studiosius, quo sibi ipsae fideliores existenter: secundo, quia, si aliud effectum fuisset, non id commodi ex hoc sacro matrimonio consequeretur Deus, quod nitebatur, nempe ut, dum concepit Virg in domo sponsi Ioseph, Iosephi esse existimaretur conceptus, et non ex fornicatione habitus, si non nupta concepissee videretur: cogitur ergo affirmare etiam ante solemnes nuptias fuisse Virginem sub custodia Iosephi. Ceterum alii, firmioribus convicti rationibus, in ea sunt sententia, ut existimant, Iosephum post initum matrimonium rediisse Bethlehem patriam suam, tempus nuptiarum expectaturam, et necessaria nuptiarum ex more, nec profectum Nazareth usque ad reditum Virgini ex visitatione Elisabeth, quando inventa est a Iosepho habens in utero. Eorum rationes sunt huiusmodi; prima, quia Iosephus Bethlehem optavit propinquo, venerat Hierosolymam insecus de futuro matrimonio; nec ulla ratio cogebat, ut relicta omnino patria, et re sua familiaris, ad ignotam terram imparatus abiret Nazareth, scilicet non prope distantem. Secundo, quia, si cum Virgine abisset, non potuit cum ea cohabitare usque ad solemnitate nuptiarum ex veteri Iudaeorum consuetudine, variis ex Scriptura animadvertis exemplis, comprobata usque ad Christum, qua erat consuetum, sponsas ante multum tempus desponderi solitas, et interim permanere in parentum domibus, aut tutorum, donec per nuptiarum solemnitate eas sponsi traditas accepissent: nunquam enim, usque ad nuptias, nec custodiendae sponsis permittentur; et hoc est, quod vocal sacra Scrip-

buit: consentit partim Salmeron, dum ait, cum ratione coniunctam videri sibi eorum sententiam, qui intra quadagesimum annum, vel saltem intra quinquagesimum Iosephi aetatem constitunt; ut ita in virenti, floridoque aetate, ac prudentia pleno, commode Virgini in coniugium aptari posset. Doctissimus vero Ekins (ser. de s. Ios.) ut litem hanc dirimat, in antiquiore sententiam, senem illum asserentem esse, propendens, ait: *In hac re non lubet ad alteram partem declinare, ubi nullum nobis constat Scripturae pro quacumque parte testimonium, eo maxime, quod a recepta, et diu persuasa opinione temere discedendum non est. Facilius igitur pateret antiquiori sententiae auctoritatem suam, fidemque manere*. Sed mihi, salva eius pace, videtur non obscura sacrae Scripturae testimonia senilem aetatem ad generationem ineptam aperte refellere; nam apud Isaiam legimus: *Habitabit enim iuvenis cum virgine*: quae verba Glossa explicat de Iosepho, et Maria, quam sequitur Viguerius, ubi supra: et Lyranus ibidem ait: *Habitabit iuvenis cum virgine, ut Ioseph cum Maria, Valerianus cum Caecilia, Chrysantus cum Maria*. Deinde, quod magis urget, extant verba Lucae (c. 1), *putabatur filius Ioseph*: si ergo indicabatur Christus Dominus ab Hebraeis tantquam filius Ioseph, manifestum est, cum aetatis fuisse aetate ad generationem, alioquin, nec ipse notam spuri, nec mater adulterae infamiam, ut praecitati auctores adnotarunt, evasisset. Et Ioseph quidem inutilis fuisset, ac debilis ad labores fabrilis artis, et ad obsequia infanti, matricae praestanda, cum esset eundem in Bethlehem, redeundum Nazareth, fugiendum in Aegyptum, atque inde remeandum, et sudore vultus sui victus illis suppeditandus. Sane, si tam senex fuisset, ut Epiphanius, et Nicephorus, et alii antiqui putarant, alieno potius ministerio eguisset, quam ut aliis valeret ipse ministrare. Neque quidquam obstant antiquae picturae, quae illum senem, canescentem, et curvum exprimunt; ut enim Horatius (in *art.*) dixit:

... pictoribus, atque poelis  
Quidlibet audenti semper fuit aequa potestas.

Vel fortassis ideo pingitur canus, ac senex, ad castitatem mentis, et virtutem signandum: nam, ut Salomon (c. 4) dixit: *Canis sunt sensus hominis, et aetas senectutis, vita immaculata*: vel tandem ut ab intentibus omnis libidinis suspicio longe exterminetur. Sed neque illa consuetudo senem illum pingendi universalis est in tota Ecclesia: ut enim adnotavit sapientissimus Salmeron (loc. tract. 29), in quibusdam Germaniae provinciis viri fortis, et robustus depingitur: neque id quidquam dedecet honestatem Virgini: nam si in aliis non paucis plus potuit gratia, quam natura frigida, et senectus; non est, cur id iuveni Iosepho denegetur. Deo autem et b. Mariae sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.



tura : *Sponsam accipere sponsum*; et Iura post initium verbis contractum solemniter, *rei cuiusque possessionem, aut hereditatem adire, quod nisi per solemnem traditionem, et nuptiarum celebrationem non fiebat.* Hanc consuetudinem, quoniam diversa est ab ea, quam in usu fuisse Iudaeis dixerunt Patres pro superiori sententia citati, nullis Scripturae sanctae testimoniis, et exemplis confirmabimus. Primam ex (*Gen. 19. ver. 8.*) Dixit Loth: *Habeo duas filias, quae necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos: et (vers. 14.) Egressus itaque Loth, loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius: et dixit: Surgite, egreimini de loco isto, etc. curque esset mane, cogebant eum Angeli dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes, et apprehenderunt manum eius, et manum uxoris, et duarum filiarum eius, etc. educeruntque eum: ex hoc loco constat, duas filias Loth iam desponsatas fuisse duobus illis generis, ut etiam advertit Ambrosius (*1. A. de Abra. c. 6.*) maritus vocans; et Chrysost. (*hom. 43. in Gen.*) qui inde morem illum colligit, et tamen extra domum habitasse, usque ad acceptance; siquidem egressus est de domo, ut eos moneret de fuga, et nec nocte, nec mane domi erant: insuper et virgines erant filiae, et generos vocat, qui accepturi erant filias suas; hoc est, solemniter per nuptias in possessionem earum venturi, ut eis iam tamquam uxoris uterentur. Secundo (*Gen. 24.*) Rebecca, sponsa iam facta, ducta est ad Isaac, qui introduxit eam in tabernaculum Sarae matris suae, et accepit eam uxorem: hoc est solemniter nuptias celebravit, et possessionem eius accepit usu matrimoniali. Tertio (*Gen. 29.*) desponsata est Rachel Jacob pro servitute septem annorum, quibus finitis, ait: *Da mihi uxorem meam, quia iam tempus impletum est, ut ingrediatur ad illum;* qui, Laban, vocalis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias; et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum; et infra (*ibid.*): *Imple hebdomadam dierum huius copulae, et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis; acquievit placito, et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:* en usque ad nuptias nec datam sponsum a patre sponso, nec acceptam unde usque ad nuptias non fiebant extra parentum potestatem, nec sponsis permittebantur. Quod autem asserit de hebdomada copulae, hoc est, ut ait Augustinus, et Eucherius (*quaestio. in Genesim*), consuetudinem fuisse Iudaeis, septem diebus nuptias celebrare, ut constat ex Samsonis nuptiis (*Judic. 14.*); sic enim invenes facere consueverant. Quarto (*Genes. 38. 2.*): *Et accepta uxore ingressus est ad eam: ergo aliud erit accipere per solemnitatem, a congressu. Quinto (Deut. 20. 7.) dicitur: Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accipit eam? vadit, et reverterat in domum suam, non forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam.* August. (*quaestio. in Deuter. g. 31.*) accepit, duxit uxorem, declarat; et Iosephus (*lib. 4. antiq. cap. 8.*) praeter hos, inquit, qui desponsata uxore, nondum eam domum ducerent, ne harum rerum desiderio, sibi parentes sercassent se relictis voluptatibus in gra-*

tia uxorum, parum fortiter rem gerant. Philo (*lib. de fort.*): *Edicitur enim, ait, ut si quis adificaverit domum, necdum immigravit in eam, sive plantaverit novellam vineam opera sua, necdum advenit tempus vindemiae; sive sponsam habeat virginem, necdum celebravit nuptias, abstinere a militia.* Sexto (*Deut. 22. et 23.*): *Si puellam virginem desponderit vir, incenerit eam aliquis in civitate, et concubaverit cum ea, etc. lapidibus obruetur; etc. vir, qui humiliter uxorem proximi sui violaverit; non quae iam uxorem proximi sui violaverit; ut cetera. Gregorius (epist. ad Mauric. Imperat., et refertur 23. q. 2. cap. qui desponsatam): Et illud ait in Deuteronomio: Si quis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro, vel in quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui violaverit; non quae iam uxorem erat, sed quae a parentibus uxore fieri debet: ex quo colligitur, sponsas sub cura parentum fuisse, a quibus uxores fieri debebant; hoc est usque ad nuptias, non sub cura sponsorum. Quod explanat Philo (*lib. de spec. leg.*): *Si quis, inquit, post epulum nuptiale cum puella, non maritali affectu, sed tamquam cum meretrice, libidinis causa congressus carnalis, vertat se ad ocula criminata, dicendo, a se deprehensam non virginem, rogetur universos senatus, et ad sint etiam accusatae parentes, communem causam acturi: in tali enim causa, sine controversia, quando de castitate corporis queritur, non imminet periculum soli filiae, sed etiam eius curatoribus, non modo, quia usque ad suum tempus non custodierunt natae pudicitiam, verum quia citiatam ab alio desponderunt pro virgine: ecce ad parentes, tutoresque spectabat, usque ad nuptias, etiam desponsatae puellae virginitatem custodire, non ad sponso. Septimo (*Judic. 14.*) Samson despondit sibi Philisthaem, et post aliquod tempus venit pater eius, et fecit filio suo Samsoni convivium; sic enim invenes facere consueverant, et omnes convocavit ad nuptias celebrandas per septem dies, hoc est illud: *Quam, quae, ut mihi accipiat uxorem: et hanc mihi accipite: et usque ad acceptance non habitabit cum ea, quousque iratus remisso mulieri nuncio, res suas sibi habere iussit, ac ita dimisit eam; ut constat etiam ex Iosepho (*lib. 8. Antiquit. cap. 10.*) Octavo (*Tob. 6. 18.*) dixit angelus Tobiae: *Tu autem, cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea.* Tobias autem despondit sibi Saram (*Tob. 7.*) et post desponsationem, celebratis solemniter nuptiis, accepit eam, et statim secum duxit in domum patris sui. Nono (*1. Machab. cap. 9.*) habetur: *Post haec renunciatum est Ionathae, et Simoni fratri eius, quia filii Ambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsum ex Madaba filiam unius de magnis principibus Chanaan etc. et ecce tumultus, et apparatus multus, et sponso processit, et amici eius, et fratres eius obiciam illis cum tympanis, et musicis, et armis multis: quam historiam Ioseph (*lib. 13. Antiquit. c. 1.*) sic refert: Eodem tempore nunciatum est Ionathae, et Simoni fratribus, quod Anareti filii celebraturi essent nuptias, et adducturi sponsum ab oppido Galathae, filiam illustris cuiusdam inter Arabas, eamque puellam introducendam cum pompa sum-****

dem Virginis, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA III. HISTORICA

In qua de patria divi Iosephi, parentibus, genere, nomine, statu, moribus, singularique martyrii genere, felici morte, gloriosa resurrectione, necnon erga pios suos cultores sollicita cura, et protectione, brevi sermonis eloquio describitur.

Consueverunt non semel divina eloquia vitam, et mores alicuius viri de Scriptura, et eius patria tractationem exordiri; unde de Tobia aiant, Ioseph ex civitate Nephthali; et de patetissimo Iube, ex terra Hus; ac simili modo de aliis innumeris. Hunc eundem nos morem sectantes, de vita, et moribus sanctissimi Iosephi acturi, ab eius patria narrationem auspiciamur. Scio, non paucos existimasse, patriam illius fuisse Bethlehem, propter testimonium Iustini martyris, qui in eloquio cum Triphone Iudaeo de Ioseph agens, ait, illum a Nazareth, ubi domicilium habebat, ascendisse in Bethlehem veterem patriam, ut nomen proficeret. Verum hoc fundamentum futile est, quia Iustinus martyr non appellat Bethlehem antiquam Iosephi patriam, quia ex ea fuisset oriundus, sed solum, quia maiores eius inde erant, quos, ibidem ait Iustinus, esse ex tribu Iuda, cuius tribus illud Bethlehemiticum oppidum fuisse testatur. Communem ergo Patrum sententiam amplectentes, asserimus, Iosephi patriam fuisse civitatem Nazareth in provincia Galilaeae, quae est regio terrae Palaestinae, et clauditur ab ortu Syria, ab occasu Phoenicia, a septentrione Libano monte, et Tyronum finibus, et a meridie Samaria per lineam ductam a Ptolemydis territorio in Seythopolim. Est autem regio fertilis, et intermedio monte, amplissimos habet campos: unde de illa, et de gentium in ea habitantium natura, et indole dixit Ioseph (*lib. 3. de bello Iud.*): *Sunt pugnae ab infantia Galitae, et omni tempore plurimi, neque aut formido unquam viros, aut penuria regiones illas occupavit, quoniam totae optima, et fertiles sunt.* Porro hanc Galilaeam multi duplicem fuisse affirmant, superiorem, et inferiorem: superior a fontibus Iordanis in Gennesareticum lacum descendit, terram Zabulon, et Nephtholim complectens, sicut Matthaeus evangelista ex prophetae Isaiae auctoritate comprobat, sic dicens (*Matth. 2.*): *Secessit, de Christo loquitur, in Galitaeam, et relieta civitate Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum in finibus Zabulon, et Nephthali, ut adimpleretur, quod dictum est per Iseaiam prophetam: Terra Zabulon, et terra Nephtholim, via maris trans Iordanem Galitaeae gentium.* Per hanc est via publica ab Assyriis in Tyrum ad mare mediterraneum. Cognominatam autem haec a propheta, Galitaeae gentium, quia non modica eius pars donata fuit a Salomone Hyram regi Tyri. Inferior reliqua

pluviosa, et splendida; ut vero in conspectum venit sponsum cum virgine, et amicum comitatu, ut fieri solet in nuptiis, coorti ex insidiis omnes ad unum interfecerunt: ecce morem deducendi sponsum in domum sponsi, et exundi illi obviam; quem Christus in illa parabola (*Matth. 23.*) repetivit, tamquam sum communem frequentem; cum decem virgines, quae comitabantur sponsum, exierunt cum lampadibus obviam sponso, cum quo intraverunt ad nuptias, quae consuevit etiam Gentilibus frequens fuit, ut constat ex Statio in epithalamio Stellaee, et Violantillae, et multis aliis, quae adducit Neapolitanus Alexander (*lib. 2. Gentilium dier.*) et super cum Tiraquellus. Ex quibus omnibus certo certius colligitur, eam fuisse Hebraeae consuetudinem, ut ante nuptias sponsa non traderetur sponso, nec ad custodiam; hoc enim vel parentum erat munus, vel tutorem; in nuptiis vero tradi solitam, et inde deduci in sponsi domum: et hoc significavit angelus (*Matth. 1.*) cum Iosepho dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Decimo: quoniam aliqui ex Patribus putant, Virginem quidem habitasse in domo parentum suorum, Iosephum autem in separata domo, vel cognatorum, vel conducta. Sic Eusebius (*in E. myssenus (ser. in vig. Nativ.)*) et Anselmus (*in E. Matth.*): unde frequenter sponsum visitatione una cum parentibus custodiret; additur probare Castrensis (*in vit. b. Virg. c. 6. n. 8.*) nec in urbe Nazareth propter hanc rationem degisse, quia, inquit, pro comperio haberi debet, Iosephum nihil novisse eorum, quae cum angelo tractavit Maria, nec de his discessu in domum Zachariae, nec de his, quae dicta sunt ab Elisabeth, et gesta in eius domo, donec post reditum noctu admonitus est ab angelo de foetu divinitus dato. Verum, quidquid sit de efficacia huius rationis, quae apud me nullam vim habet, ut suo loco (*l. sequente hom. 10.*) demonstrabo, ex aliis tamen supra adductis probationibus manifestum est, et fidei satis consonum, non fuisse in urbe Nazareth tunc Iosephum, sed Bethlehem, donec tempus accederet nuptiarum. Quoniam vero ad primam superioris sententiae rationem satis responsum est, posteriori satisfaciendum, dicendo, quod, tametsi verum esset, Iosephum non fuisse concomitatum sponsum suam in itinere ad montana, satis tamen provium fuisse famae, et honoris Virginis, quod Elisabeth revelatum est mysterium, et domus eius universae declaratum, et inde ad celeros cognatos delatum: tum etiam postea, dum revelatur Iosepho, apud quem iam non bene audiebatur sponsa, ut multi Patres putarunt; eius enim erit deferre, si adultera putaretur. Verum hoc adhibito remedio tam certi, et iusti innocentiae Virginis, et coelestis testes mysterii satis erant, ut eam ab omni periculo liberarent, eiusque honori consulenter; praesertim, quia cum iam virum Iosephum cum ea deinceps habitantem vidissent, nihil erat, ergo suspicarentur malum, quod non tam curiose alienam sponsum spectabatur; maxime cum non liceret sponso congredu cum sponse, ut dicit Tertullianus, Chrysostomus, et Augustinus, et alii. Hactenus de hoc historico argumento in lau-